

Specimen medicum inaugurale, de quinque partibus medicinae, ... / ex auctoritate magnifici rectoris, Joannis Jacobi Schultens, ... pro gradu doctoratus, ... publicè defendet Michaël Gregorius Stevens.

Contributors

Stevens, Michael Gregorius.
Schultens, Jan Jacob, 1716-1778.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Gerardum Potuliet, 1760.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hgnjyabs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

X/1
SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE

QUINQUE PARTIBUS
MEDICINAE,

QUOD

FACIENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

JOANNIS JACOBI SCHULTENS,

S. S. TH. DOCT. EJUSDEMQUE FACULT. UT ET LL. OO. IN ACAD. LUGD. BAT.
PROF. ORDINAR. COLL. THEOL. PRÆP. ET ILLUST. ORD. HOLLAND.
AC WESTFR. REGENTIS. MSS. LEGATI WARNERIANI INTERPRETIS.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

publicè defendet

MCHAËL GREGORIUS STEVENS, ARTIUM DOCTOR.
TUNGRENSIS.

Ad diem 13. Octobris MDCCLX. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud GERARDUM POTVLIET, 1760.

Non semel quaedam sacra traduntur. Eleusis servat, quod ostendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo ejus haeremus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent: reducta & interiore sacrario clausa sunt. Ex quibus aliud haec aetas, aliud quae post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in nostram notitiam perducentur? Tardè magna proveniunt, utique si labor cessat.

Senec. Q. N. Lib. VII. Cap. XXXI.



S P E C I M E N M E D I C U M

I N A U G U R A L E ,

D E

QUINQUE PARTIBUS MEDICINAE.



§. I.

Multi nomine Medici; re autem & opere perpauci. In millibus unus est, quem probitas commendat, ratio regat, confirmet experientia, universa rerum medicarum scientia exornet. Medicina, alia est speculativa, alia practica; utriusque finis sanitas. Ad finem collimat Speculativa, dum hominis sani naturam indagat in Physiologia, corpus morbo affectum, in Pathologia considerat, & morborum signa in Semeiotice perpendit: Scopum attingit Practica;

A 2

cum

cum sanitatem in Hygieine tuetur, in Therapeutice restituit. Choreas ducit Physiologia, nec immerito: qui enim partium officia non calluerit, is earumdem vitia malè dignoscet, pejus curabit. Objectum Physiologiae, res naturales, sive naturalem hominis compositionem ingredientes. Septem vulgo recensentur, Elementa, Temperamenta, Partes, Humores, Spiritus, Facultates & Functiones. Quot capita, tot fere de *elementis* sententiae. Hic nubes & inania captans, formas primas, seminum & motûs originem prosequitur. Ille materiam primam ad arbitrium cudens, ad nutum secans, ad libitum movens, ingeniosas nectit fabulas. Ignem, aërem, aquam & terram Peripatetici jaçant; Chymici salem, sulphur, mercurium, alii aliud toto crepant ore: Si sapis, inextricabiles systematum nodos otiosis relinque: Vera corporis principia, oculisque subiecta fidelibus sunt partes solidae & fluidae; ulteriora ne quaesieris. *Temperamenti* nomine intelligitur certa quaedam corporis habitudo, ex mutua solidorum, fluidorumque actione pendens. Hinc innumeras temperamentorum differentias conjice; prout enim pars fluida tenuior est aut spissior; prout solida plus minus tenditur, relaxatur; diversa exurgunt temperamenta, sua cuique sexui propria, diversis regionibus diversa, & in iisdem subiectis pro aetate, tempestate, moribus, victûs ratione mutabilia. *Pars* definitur quidquid totum ita complet, ut suâ praesentiâ perfectionem addat, absentia detrahat. Duplicis generis partes jam agnovimus, solidas nempe & fluidas. Solidae ex fibris modò per fasciculos collectis, ut in musculis & tendinibus, modò in telas expansis, ut in membranis; modò in Lamellas compactis, ut in ossibus; modò ex membranis in se redeuntibus canalem cavum conicum vel cylindricum efformantibus, ut in vasis, conflantur. Ex vasis totum componi corpus, etiamsi ossa excipias, nulla sunt, quæ demonstrant. Fibras irrigant, quotquot sunt in corpore, *Humores*, motu perpetuo agitati. An solida fluidis imperent, an pareant, disputant Authores; sed perperam: agunt in invicem & aguntur, mutuasque causae & effectuum vices praestant. Vivifica succorum moles, qualis in arteriis

ve-

venisque continetur, sanguis audit, omnium humorum fons inexhaustus. Sanguinis materia chylus liquor lacteus & subdulcis, ex alimentis in ventriculo eliquatis proveniens. Chylus inchoat oris & dentium actio, adjuvat gastricus humor, perficit stomachi & partium adjacentium motus, confirmat bilis & succi pancreatici permixtio. Chylus in intestina delapsus, notâ regione viarum ad subclaviam appellit, divitibus undis sanguinem auget, singulas corporis partes peragrat, pabulo rore alluit; succosque, quibus fetus est, si inutiles amandandos; si utiles resorbendos impertit. Ad secretionum varietatem explicandam, quae afferuntur fermenta, pororum configuratio, liquor glandulis ingenitus, figmenta totidem. Ut in hepate bilem, in renibus urinam, in cute sudorem, &c. Sic in cerebri cortice *Spiritus* animales secerni, sunt, quae suadent: si oculorum aciem fugiunt, mentis captum non superant. Hoc systema potius doctrinam verbis, quam veris adornat. Nauseam hodie movet vetus *Facultatum* cantilena. Quod vanis earum idolis bona affixerat antiquitas, illud in artificiosam partium mechanice oculatiores refunde: cave tamen a machina Cartesii. *Functio* dicitur animae, vel corporis, vel utriusque simul operatio. Celebris est functionum in vitales, naturales, animales distinctio. Vitales dicuntur, quae vitam ita faciunt, ut iis carere nequeat, ut motus cordis, respiratio, sanguinis circuitus, &c. Naturales assumpta sic mutant, ut in naturæ nostrae partem abeant. Ad hunc censum pertinent actiones viscerum, quae recipiunt, retinent, movent, mutant, miscent, secernunt, applicant, excernunt. Animales ita in homine contingunt, ut vel intellectus humanus ejusmodi ideas inde concipiat, quae actioni illi corporeæ unitæ sunt; vel voluntas his actionibus excitandis operetur, aut iis moveatur. Huc spectant animi affectus, sensus & motus voluntarii. Cerebrum Regia mentis est sublimibus alta columnis. *Spiritus* animales, dum mentis mandata partibus deferunt, unde motus animalis, dum velut exploratores, externis insident organis, & ad cerebrum reflui, de iis, quae extus geruntur, mentem admonent, un-

de sensus; Regiae ministri non malè dicuntur: sed speciosè magis, quam verè. Cerebrum per propagines suas in corpore ubique est praesens. Quidni ergo anima per se ipsam illic poterit quoque operari? Qua ratione anima in corpus agat & mutuò a corpore patiat; assequi tentat homo, scire nequit. *Dixit & facta sunt.* In organorum & effectuum observatione quiescit Medicus; in causis supremam Numinis voluntatem adorat.

§. I I.

Hominem sanum, functionum omnium integritas facit; morbidum unius etiam defectus. Ut actionum perfectionem explicat Physiologia: ita laesionem comprehendit Pathologia, quae agit de morbo, causa morbi & symptomate. *Morbus* rectè definitur, conditio tollens facultatem corporis aptam omnibus actionibus perfectè exercendis. Cum autem actiones sint partium; partesque considerentur vel ut simplices, vel ut organicae, vel ut ex simplicibus & organicis compositae: indè tria oriuntur morborum genera, intemperies, mala conformatio & unitatis solutio. Intemperies in partem simplicem cadit; mala conformatio parti organicae propria est; utrique competit unitatis solutio. Intemperies juxta veteres vel est simplex, ut calida; vel composita, ut calida & humida; verum Neoterici caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis ideas explodunt, meliusque ad acre, falsum, acidum, &c. Laxum, rigidum, firmum, debile &c. confugiunt. Mala conformatio vel est in figura, ut oris distortio; vel in meatu latiore, ut aneurisma; angustiore, ut obstructio: in laevitate, ut lienteria; asperitate, ut tracheae arteriae raucitas: in magnitudine aucta, ut pes longior; imminuta, ut digitus brevior: in numero excedente, ut sextus digitus; deficiente, ut manûs amputatio: in situ, ut hernia; in connexionione, ut palpebrae utriusque coalitus. Praeter essentiales morborum differentias dantur & aliae accidentales, quae ratione circumstantiarum diversa & notatu digna, sive ad pro-

prognosis, five ad curationem nomina fortiuntur: sic ratione durationis morbus est chronicus, ut hydrops; acutus ut pleuritis; peracutus, ut febris ardens; acutissimus, ut apoplexia. Ratione moris, benignus, ut alvi fluxus; malignus, ut varicellae; venenatus, ut viperæ morsus; contagiosus, ut pestis. Ratione numeri, unus; ut simplex ventriculi intemperies; compositus, ut phlegmone; implicitus, ut pleuritis cum asthma; connexus, ut febris a pleuritide; dispersus, ut ulcus pedum cum nephritide. Ratione originis, haereditarius, ut lues venerea; adventitius, ut paralyfis. Ratione loci, sporadicus, ut lethargus; endemius, ut Anglorum phthisis; epidemicus, ut morbilli. His omnibus morborum differentiis suae a Medicis causae tribuuntur. Felix, qui potuit morborum noscere causas: ignoti enim nulla curatio. Qui plures morborum causas statuunt, his ignoscimus, dum, ignoscant nobis, quod statuamus pauciores. Causas igitur in Procatarcticas & Praedisponentes, seu in Potentias nocentes & Semina distinguimus. Illa plerumque praeus est rerum non naturalium usus; haec latet in solidis modò, modò in fluidis: si a sanguine nomen accipiat, plethora dicitur; si ab humoribus cacochymia nuncupatur. Symptoma sic dictum, quod morbis causisque accidat, est affectus contra naturam, qui morbum, velut umbra corpus, sequitur. Tria distinguuntur symptomatum genera, actiones laesae, excretorum & retentorum vitia; mutatae corporis qualitates. Symptoma actionis laesae totuplex, quotuplex actionum laesio: laeditur autem vel imminutè, ut in bradupepsia; vel depravatè, ut in malacia, vel acutè, ut in fame canina; vel abolitè, ut in paralyfi. Excretorum & retentorum vitium quintuplex, vel enim peccant in substantia, ut vermes, calculus; vel in qualitate, dum acria sunt, falsa, naturae suae degeneria, &c. in quantitate, deficiente, ut ischuria; excedente, ut diabetes; in loco, ut ileus; in tempore tandem, ut tardior vel citior menstrui sanguinis excretio. Mutatae dicuntur corporum qualitates, cum sensibus externis ingratè percipiuntur: sic color flavus

vus in ictero visum; gravis axillarum odor olfactum, ructus acidus gustum; linguae scabrities tactum, borborygmi auditum molestè & contra naturam afficiunt.

§. III.

Si caecus a caeco ducitur, ambo in foveam cadent. Lapsus times? facem praeferat Semiotice; lubricum ostendet iter, & affulgentibus signis ad morborum cognitionem quasi manu te perducet. Signa morbi alia sunt commemorativa, diagnostica alia, alia prognostica: commemorativa praeteritum morbi statum exhibent, diagnostica praesentem explicant, prognostica futurum praefagiunt. Haec vel salutaria, quae sanitatem portendunt; vel lethalia, quae mortem ominantur. Omnium cognitio medenti necessaria. Non danda remedia, ubi natura morbo superior, sola potest opus explere; non danda etiam, ubi nullus medicinae locus, & victor morbus aegrum jugulat: crimen esset in homicidii partem venire: nec infamandum praesidium, alias profuturum. In rebus dubiis praestat anceps potius, quam nullum remedium experiri; at illud dijudicare, non cujusvis est, (*judicium enim difficile*) Sed sagacioris Medici, qui spem ab absoluta signorum cognitione depromit. Caeteris praestant Pathognomica, quae omni, soli & semper conveniunt: utinam talia in omnibus adessent! His deficientibus ad aliorum Syndromen confugiendum. Signa diagnostica, vel speciem morbi denotant, vel morbi causam ostendunt. Quae speciem morbi denotant, desumuntur a parte affecta, actione laesa, doloris proprietate, situ, propriis accidentibus, excrementis, juvantibus & laedentibus. Sic a juvante calido remedio morbus frigidus innotescit; punctorius pleurae dolor pleuritidem indicat; motus & sensus privatio apoplexiam signat; sputa purulenta phthisim arguunt; rubor in oculis phrenitidem minatur. Signa, quae morbi causam ostendunt, repetuntur, ab affectus specie, partium natura, excrementis, humore dominante, doloris proprietate, & cutis colore: sic erysipelas

bilem,

bilem, arenulae in urinis calculum, affectio hypochondriaca bilem atram, pruritus falsam pituitam, ruber color sanguinem, aegritudinis causas esse denuntiant. Signa prognostica humoris coctionem vel cruditatem, longitudinem morbi vel solutionem, vitam vel mortem praesagiunt. Apage chiromanticos, sagas & alios ejusdem farinae ardeliones, quorum fortuna vitrea, dum splendet frangitur; qui polliceri, non praestare; praedicere & mentiri solent. Medicus, ut de vitae longitudine, vel brevitate decernat, non manuum incisuras, non articulationes metitur; sed naturae cursus & recursus, momenta, casus, fortunas, discrimina, tacitâ mente volvit & revolvit; sicque effectus obscuros per evidentes causas, causas latentes per effectus manifestos investigando, artificiosae praesagationis habitum assequitur. Nihil in arte pusillum, nihil contemnendum, abjecta quaevis & sordida, Medico sunt praedictionis materies; sputa, lacrymae, sudores, faeces, sanguinis stillicidia, maculae cutis, linguae color, &c. Sed ad crises, arteriae pulsus, & urinas praecipuè respiciendum. Crisis est materiae evacuatio, cum insigni corporis perturbatione & morbi mutatione, sive ad salutem, sive ad mortem: tutior est, quae per evacuationem contingit, quam quae per abscessum; optima, si fiat cum aegrotantis euphoria; pessima, dum vires prosternt, absque ulla morbi remissione. Pulsus est alterna arteriae inanitio & repletio, a cordis vasorumque systole & diastole pendens. Omnes omnium pulsuum differentias, quas Galenus enumerat, mitte sectari: satis erit naturales pulsus conditiones in quantitate, qualitate, quietis tempore, robore, arteriae statu positae observare: Ut enim pulsus plenus, validus, ordinatus, mollis sanitatem promittit; ita parvus, inaequalis, formicans, vermicularis, convulsivus, res aegrotantis in deplorato esse praenuntiat. Urina humor est satis notus, ut definitione non egeat: varia est ratione quantitatis, coloris, consistentiae & contentorum. Pro varia principiorum, quibus constat indole, varios corporis affectus declarat. Cavebis tamen, ne ibi periculum grave vaticineris, ubi levior causa

urinas in deterius mutavit: frustra etiam salutem spondet urina, nisi caetera consentiant: *urina bona*, & *tamen aeger moritur*. Si quid dubiè (quod saepe contingit) urina repraesentat, solvet dubium omnium corporis partium sedula lustratio: ad sexum, aetatem, vitae genus, loca, tempora attende. Verba dat & aegros ludit, qui ex sola urinarum inspectione se morbos omnes cognoscere hariolatur.

§. I V.

Hygiene sanitatem rectâ vivendi ratione servat: quid praestantius? Objectum ipsius *res non naturales*, aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, & animi pathemata. Aëris in corpora vires demonstrare, quid opus? malè affici, satis est ad morbum; satis ad mortem non affici. Laudatur purus, tenuis, amoenus, serenus, temperatus, nullis foedatus inquinamentis: contrariorum lege noxius innotescit. Quodnam sit aëris insalubris remedium, rogas? nullum fugâ tutius agnosco: si fugere non licet, aërem impurum suaveolentibus emenda; contagiosum spirituosius corrige, humidiorē exsicca, refrigera calidiorē. Deficienti semper naturae, necessarium semper alimentum. Ut victum ex arte praescribas, distingue aetatem, perpende vires; religionis, tempestatis & consuetudinis rationem habe. Frustra laudabilis cibus, si parem dispares sumunt. *Senes facillimè jejunium ferunt, mox aetate consistentes, minimè adolescentēs, omnium minimè pueri*. *Aph. Hipp. 13. Sect. 1. Corpora, quae crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento. Aphor. 14. Sect. 1. Ventres hyeme & vere naturâ sunt calidissimi; his igitur temporibus, alimenta plura exhibenda. Aph. 15. Sect. 1.* In genere optimus alimenti modus, quod quisque concoquit; sapit, qui stomachum suum interrogat. Quo simplicior cibus, eo salubrior. Qui palato sapit, boni succi est & facilis digestionis, caeteris praeferatur. Rarò profunt condimenta, saepissime nocent. Cur aetas nostra morborum adeo ferax? in promptu ratio est, coquos nume-

ra.

ra. Quis in sumendis cibis ordo servari debeat? an coena prandio anteponenda? quaestiones sunt, quas convivarum disputationi libenter relinquimus. Aqua potus omnium antiquissimus: fluviatilis, modo pura sit, optima; pessima palustris. Ad fluvialem fontana; ad palustrem putealis accedit. Aquam sic lauda, ut vinum non improbes. Ebrietas foedum morbi genus: sed in ebrium infamia cadit, non in vinum; quod vi suâ prodest, alienâ tantum culpâ nocet. Exercitii utilitatem luculenter probat morbus, commune otii stipendium. Hinc apud veteres prima lex sanitatis, non satiari cibis; proxima, impigrum esse ad laborem. Motus, si moderatus, vires auget, corpus firmat, humores crassos dividit, crudos coquit, superfluos eliminat: sed bona sunt vicina malis; immodicus solida atterit, exurit fluida, spirituosâ ventilat. *Medium tenuere beati.* Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis; sed eadem ignavum corrumpunt otia corpus. Docet Medicus, quo quisque modo fugiatque feratque laborem: sic corpus exercet, ut non fatiscat; sic quiescere finit, ut non torpescat; auream ubique sectatur mediocritatem. Optimus somni & vigiliae ordo, dum sese mutuò excipiunt: modum in utroque servare memento. Somnus longior solidorum elaterem obtundit, fluida inspissat, caput replet, sensus hebetat. Vigilia bilem asperat, auget acre, spiritus consumit, impedit nutritionem. *Medio tutissimus ibis.* Per excreta & retenta intellige corporis succos, vel utiles & in nostri substantiam facescere aptos, vel inutiles (quâ data porta) abigendos. Non impune feres, si in retinendo vel excernendo natura deliquerit. Profuso laudabilium succorum thesauro, imminet virium, vitae jactura; retentis, quae sunt excernenda, gemunt sub pondere vires; sarcinae brevi succumbendum. Sanitati utiles esse animi motus, quis ignorat? Amore, spe, gaudio, &c. sanguis vegetior fluit, stimulatur solidorum actio, promoventur secretiones, uberior fit transpiratio. Sed sunt certi fines, quos ultra citraque sanitas consistere nequit. Laxatis habenis nocent affectus, qui profunt temperatis. Procul ergo moeror, odium, iracundia,

libido, auri fames, livor &c. Quae susque deque omnia miscent, & laesas functiones enormi quatiunt tumultu. Extra aleam est, qui domesticis hostibus imperat, motos componit fluctus, sperat infaustis, metuit secundis alteram sortem bene praeparato pectore, aequam rebus in arduis servat mentem; non secus, ac bonis ab insolenti temperatam laetitia. Sic sanitatem, ut ut lubricam, Medicus stabilit tueturque; &, quod sapientis votum est, mentem sanam facit in corpore sano.

§. V.

Ut sanitatem praesentem Hygiene servat; sic lapsam Therapeutice restituit: non unâ eâdemque morbos omnes oppugnat armaturâ: aes illi triplex, triplex telum, Diaeta, Pharmacia, Chirurgia. His omnibus satis fuit olim unus artifex; posterior aetas ad majorem sedulitatem plures dedit. Pharmacopolus remediorum armamentario praeest; manus auxiliares adhibet Chirurgus; Medicus summus rei medicae dictator, quid, quantum, quomodo & quando sit agendum indicat & tripartitam adversus naturae hostes, aciem movet. Diaeta, debita est rerum non naturalium, victûs praesertim administratio. Ut variat morbus, variam vivendi legem expetit. *Tenuis & exquisitus victus, in longis morbis semper periculofus. Aphor. Hipp. 4. Sect. I. Ubi peracutus est morbus, tunc tenuissimo victu uti necesse est. Aphor. 7. Sect. I. sed considerare oportet, an aeger tali diaetâ ad morbi vigorem sufficiet. Aph. 9. Sect. I. Videndum etiam, quibus semel aut bis, plura pauciorave offerri conducat; sed dandum aliquid regioni, tempori, consuetudini & aetati. Aph. 17. Sect. I.* Evidentior pars Therapeutices Chirurgia, vulnera sanat, tumores resolvit, apostemata maturat, fracturas restaurat, &c. Omnes ipsius operationes ad continui divisionem, divisi unionem, extractionem alieni, & remediorum exteriorum applicationem non malè revocaveris. Pharmacia paucarum herbarum olim scientia, nunc prodigiosâ remediorum sylvâ luxuriat. Ex his sunt gratiora alia, quae in usum vocavêre hodierni Medici, delicatiori hominum palato

to indulgentes: alia, quae vetus aetas comprobavit, minus grata, virtute praestantiora: sunt composita quaedam, quaedam simplicia; in utrisque mitiora, vehementiora. Sapit, qui in denso pharmacorum agmine; ex multis pauca, ex paucis exquisita indicationibus accommodat. A morbo, causâ morbi & symptomatum praecipuae fluunt remediorum indicationes. Morbus tolli, causa deleri, mitigari symptomata postulant. Singula in tempore & loco exequi, hoc opus, hic labor est. Quidquid agat medicus, in votis habet, aut morborum emoliri causas, aut emendare: causas emendat remediis alterantibus, quae vitiatam humorum crasim immutant; exemplo sint *diluentia, refrigerantia, antiscorbutica, febrifuga* &c. Emolitur per evacuantia, quae naturam ab humorum colluvie feliciter expediunt. In plethora optimum evacuationis genus venae sectio. In ea celebranda revulsioni, aut derivationi consule. Urgente necessitate infantibus, senibus, gravidisque mulieribus venam seca; detestanda eorum religio, qui dum sanguini parcere volunt, aegrum immiti pietate jugulant. Ut plethoram venae sectio, sic cacochymiam purgatio tollit. Varia purgantium genera, quae indiscriminatim adhibere nefas: alia per vomitum humores agunt, alia per secessum: quo natura vergit, eo ducendum. Promptius agunt emetica, quam cathartica, & stabulantem in primis viis humorum saburram potentiùs eluunt: sed cautè tractandum anceps istud remedii genus; quo fortiùs agit, eò validiùs laedit praeposterè adhibitum; caveant phthisici, haemoptoici, plethorici, &c. In aliorum evacuantium usu maximâ quoque prudentiâ opus est; data tempore profunt & data non apto tempore saepe nocent. Nullus ergò temerario ausu inolet in medicinam, nisi remedium diversis morbis, diversis morborum temporibus, symptomatis, causis, aegri viribus, naturae, aetati, regioni, temperamento noverit accommodare, nisi sciat, quid sanitatem foveat, quid destruat, quid reparet: hanc scientiam non aliunde, quam ex quinque Medicinae partibus comparaveris.



COROLLARIA.

I.

Anima est omne illud, quod est actuosum ex interno principio.

II.

Homo constat ex mente & corpore & tertio, quod copulam facit, seu proxeneta.

III.

Anima medica est proxeneta corpus inter & mentem.

IV.

Homines tranquilli animi citius sanantur: & sunt longaeiores iis, qui non sunt animo tranquillo.

V.

An illud, quod in turbas movetur, est id ipsum, quod sanitatem perficit, morbum abigit, vitam tuetur?

VI.

Animi tranquillitas plus facit ad vitam prolongandam, quam omnes Panaceae Adeptorum.

VII.

In plerisque animi pathematibus nocet venae sectio.

VIII.

Non datur liquidum nerveum.

IX.

I X.

Vita non consistit in circulatione.

X.

*Sanguis Coronariarum non est causa contractionis
cordis, nec particularem circulum absolvit.*

X I.

Calor vitalis non fit ab attritu.

X I I.

— — — — — *Mors sola fatetur,
quantula sunt hominum corpuscula. JUVEN. Sat. 10.*

X I I I.

*Satius est ante, quam post somnum congregi:
satius vacuo, quam pleno ventriculo.*

X I V.

*Tempus ad procreandam prolem aptissimum est
incipientibus vel cessantibus menstruis.*

X V.

Non habentur animalcula in semine.

X V I.

Non datur certum graviditatis signum.

X V I I.

Embryo fugit humorem amnii.

X V I I I.

X V I I I.

Qui novit naturam ducere, hic summus Medicus esto.

X I X.

In morbis omnibus primum viarum rationem habeto. Sed attendito illud Lucani Lib. 2.

*Excessit medicina modum nimiumque secutae,
quà mcrbi, duxère manus.*

X X.

In morbis chronicis purgato per epicrasim.

X X I.

Corpora, cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere. Hipp. Aph. 9. lib. II.

X X I I.

Scio Medicos plus interdum quiete, quàm movendo, atque agendo proficere. Liv. lib. 12.

X X I I I.

Medicus in desperatione, gubernator in tempestate cognoscitur. Horum omnium famam praecedentia pericula extollunt. Sidon. Apol. 8.

X X I V.

Argentum vivum Hippocrati fuit notum.

X X V.

Qui sectis sunt addicti, non solum nihil norunt rectè, sed nec discere quidem dignantur. Galen. lib. 1. de Natur. Facult.